

Tulbagh misit eam sicciam, una cum ingenti vi plantarum exsiccatarum et bulborum et Insectorum.

Ab eo dixi hanc plantam TULBAGIAm, cuius character in Mantissa p. 148. sub genere 1300, Speciem **TULBAGIA capensis**, Mant. p. 223. habetur cum deser. Tua planta magna est, in loco natali vero vix Galantho major. Haeretam primum utrum posset Narcissis associari, cum nectarium ut in Narcisso serotino sexpartitum, sed cum Germen sit superum, erit diversa et a Narcissis, et ab omnibus hexandris spathaceis monogynis, Miratus sum stylum adeo brevem, sed video et similem in Tua. Laciniae corollae tres extreiores in meis floribus sunt quasi supra (extra) ipsum tubum, infra 3 interiores, sed hoc forte casu, cum certissime sit mea eademque species cum Tua.

C. L.

(Sine die. Jacquinius respondit 8. Augusti 1772.)

63.

Fl. 24. *Nepeta nuda* est.

Hort. 240. *Spiraea chamaedrifolia* sic.

107. *Asclepias incarnata* omnino.

119. *Cytisus Cajan.* habeo in horto . etiam Indicis specimibus simillima. Si varietas, certe species non distincta.

138. *Royena villosa* . certe simillima, nisi calyx et corolla repugnarent.

124. *Dolichos*, ex figura non dignoscitur a me.

Sinapis brassicata . ex figura hanc non dignosco, non est mea. Vide inter Erucas Tournefortii aliquam, an flores albi.

74. *Cheiranthus erysimoides* meus omnino est , at alii duas species distinctas a me propositas conjunctas esse volunt. Misisti quondam semina utriusque, quae florebant al-